



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

Vita Callisti Papae III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

NICOLAUS C. LVGDVNENSE. FRIDERICVS III. IMP. P. V. CAROLVS VII. R. FRANC. §

XVII.

*Statuimus vt amodo indulgentia per sedem apostolicam concessa vel concedenda, per rectorem aut alium prouidum, honestum & eruditum virum, per loci diocesenum, seu eius vicarium deputandum publicentur, & populo exponantur.*

ANNO  
CHRISTI  
1449.

CONCILIVM LVGDVNENSE  
PRO SCHISMATE INTER NICOLAVM  
papam & Felicem antipapam tollendo congregatum  
anno Domini MCCCXLIX. tempore Nicolai papæ V.

NOTA.

\* *Concilium.*] De hac Synodo ita Genebrardus lib. 4. suæ chron. Anno 1449. Concilium Gallicanum Lugduni celebratum iussu Caroli regis ad tollendum schisma inter Nicolaum & Felicem, qui rogatus a Concilio & Friderico III. imperatore, libere cessit pontificatu. Vnde vulgo de eo ferebatur carmen:

*Lux fulsit mundo, cessit Felix Nicolao.*

Ioannes le Maire.

VITA

ANNO  
CHRISTI  
1455.

CALLISTI PAPÆ III.

CALLISTVS, Alphonfus Borgia antea vocatus, vir & Cæsarei & pontificii iuris consultissimus, Alphonfi regis consilio & secretis adhibitus. Cum de pace inter Eugenium & Alphonsum regem ageretur, se maxime id curante, purpuræ dignitatem oblatam recusauit, nec prius accepit, quam rem inchoatam ex animi sententia perfecisset. Cardinalis tituli sanctorum quatuor Coronatorum creatus est. Denique anno Domini 1455. sexto Idus Aprilis Callisti nomine pontifex renuntiatus, statim Turcis bellum indicens, quod multo antea vouerat, viros per vniuersam Europam misit, qui sacra prædicatione animos omnium ad hoc tam præclarum bellum inflammarent. Itaque sedecim triremibus fabricatis & vndique coactis auxiliis, classem duce patriarcha Aquileiensi in maritimas Asiæ oras immisit. Magna contentio Romæ exorta inter Vrsinorum factionem & comitem Anguillariæ, cui fauebant Columnenses, pontificis auctoritate sedata est.

Callistus  
III. quando  
pontifex  
factus.

Turcos bello infestauit.

A iij



## 6 CALLISTI PAPÆ III. VITA.

Beatum Vincentium Hispanum, Emundum Anglum, inter sanctos adscripsit. Palumbaram Sabellis restituit, quæ ab eisdem ad ecclesiam defecerat. Cum per aliquot dies formidabilis cometes visus esset, supplicationes decreuit ad iram Dei auertendam, & victu quodam campanæ ad meridiem (qui mos adhuc seruatur) fideles ad Deum conuersi suos ardentibus precibus iuuarent, qui cum Turcis dimicabant. Senenses armis Piccinini pene oppressos subleuauit. Nouem cardinales, quorum duos nepotes, & Æneam Piccolominæum, quem deinde successorem habuit, elegit. Mortuo dehinc Alphonso, quia nullus legitimus heres supererat, regnum Neapolitanum ecclesiæ repetiit: & quidem Ferdinando repugnanti magnas attulisset difficultates, nisi mors intercessisset. Obiit octuagenario maior, & sepultus est in sacrario basilicæ sancti Petri, anno Domini 1457. octauo Idus Augusti, cum sedisset annos duos, menses quatuor. Ita Pius secundus in epistola ad Parisiensem Academiam. Onuphrius vero scribit illum anno 1458. decessisse, atque adeo tribus annis sedem apostolicam tenuisse. Hic arctissimam societatem iniit cum Persarum, Armenorum, Tartarorum regibus, a quibus & legationes accepit, & eos vicissim in Turcas concitauit. In pauperes liberalissimum, victu continentissimum fuisse tradunt. Facilem cuius ad se aditum præbebat: eaque integritate, vt neque cardinalis, neque episcopus beneficium vllum in commendationem vnquam acceperit, Valentina tantum ecclesia contentus. Ædem sanctæ Priscæ, vrbs mœnia refarciuit; nec variis occupationibus circumuentus diuinarum & humanarum rerum studia intermisit. Officium celebritatis transfigurationis composuit, & ea ratione qua corporis Domini dies celebratur, agi voluit. Alphonsum inimiciorem habuit, quod is episcopatus pro iis petebat, in quibus aliquid ad huius muneris dignitatem desiderabatur. Non possum præterire eam vocem quam quotidie vsurpabat: Nulli dubium est, quin apostolica sedes sit omnium ecclesiarum parens, a cuius nos regulis deflectere indecorum est. Hæc ex Maso.